



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. Qualitas Hiberniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 2. *Quantitas Hibernia.*

NON consentiunt inter se Giraldus, & Camdenus, de eius extensione, & uterque forsitan aberrat à vero.

Latitudo Geographica sumitur ab extremâ insulâ *Malin* in Septentrione ad Prom. *Missen*, continetque 260. Millia Pas. seu Leucas Hibernicas 195. circiter.

Longitudo Geographica duci debet à Promontorio *Karne* in Vexfordiâ ad portum seu Prom. *Ferteri* in Desmonia, quæ distantia ad maiorem circulum reuocata dat 190. millia Passuum, hoc est, præter propter Hibernicas Leucas 142.

Addidi hanc vocem, *Geographica*, quia contratio modo sumi potest longitudo & latitudo, videlicet pro parte extensiore, & contractiore.

De *Circuitu* nihil statui potest, ob crebra æstuaria quibus hæc insula suffoditur.

§. 3. *Qualitas Hibernia.*

TOTA Regio humidior, ubique fontibus scatens, ideoque minus frigida ob vapores. Hæc autem humiditas efficit, ut indigenæ expediti sint ob neruorum mollitiem.

Regio est lini imprimis ferax, itémque lanæ, quæ bis in anno pecori demitur. Dat etiam equos nobiles tolutarios, quos Angli vocant *Hobies*, sed extra Hiberniam, & Angliam vix durant, quoniam vngulæ mollioris sunt. Sufficit & canes Anglicis maiores & fortiores, vulgò *Greyhounds*, item & Accipitres in Angliâ laudatissimos. Cætera ex miraculis naturæ colliges, ad calcem huius libri.

§. 4. *Lingua Hibernorum.*

PROPRIVM idioma habent Hiberni, vnum ex septem minus præcipuis Europæ, quo etiam vtuntur Scoti Montani, & Syluestres. Vtrum autem Scoti hoc intulerint, an indidem hauserint, nemo asserere potest.

Ex quo Angli in Hiberniam colonias immisere plerique loquuntur Anglicè, & nobiles ferè omnes bilingues sunt.